

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1780

Epitome libri XXVIII

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1294](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1294)

E P I T O M E
LIBRI XXVIII LIVIANI

*R*ES in Hispania prospere gestæ a Silano, Scipionis legato, & ab L. Scipione fratre adversus Pœnos; a Sulpicio proconsule & ab Attalo rege Asiæ adversus Philippum regem Macedonum, pro Ætolis, referuntur. Quum M. Livio & Claudio Neroni consulibus triumphus decretus esset, Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invehctus est; Nero, qui in collegæ provinciam, ut victoriam ejus adjuvaret, venerat, equo est secutus, & in hoc habitu plus gloriæ reverentiæque habuit: nam & plus in bello, quam collega, fecerat. Ignis in æde Vestæ negligentia virginis, quæ non custodierat, extinctus est: virgo casa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Pœnis debellavit quarto decimo anno ejus belli, quinto post anno, quam ierat; exclusisque in to-

tum possessione ejus hostibus, Hispaniam recepit. Et a Tarracone in Africam ad Syphacem regem Numidarum duobus navigiis transvectus, fœdus junxit. Hasdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto adcubuit. Munus gladiatorium in honorem patris patrique Carthagini novæ edidit, non ex gladiatoribus, sed ex iis, qui aut in honorem ducis, aut ex provocatione in certamen descendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt. Quum Astapa urbs ab Romanis obpugnaretur, oppidani liberos & conjuges rogo exstructo occiderunt, & se insuper præcipitaverunt. Ipse Scipio, dum gravi morbo implicatus esset, seditionem, in parte exercitus motam, confirmatus discussit, rebelantesque Hispaniæ populos coëgit in deditioem venire: & , amicitia facta cum Masinissa, rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam trajecisset, pollicebatur,

batur, cum Gaditanis quoque post dis-
 cessum inde Magonis, cui ex Carthagine
 scriptum erat, ut in Italiam trajiceret,
 Romam reversus, consulque creatus. Afri-
 cam provinciam petenti, contradicente Q.
 Fabio Maximo, Sicilia data est: permis-
 sumque, ut in Africam trajiceret, si ex re-
 publica esse censeret. Mago, Hamilcaris
 filius, a minore Baliari insula, ubi hie-
 marat, in Italiam trajecit.